

**Historiam pleuritidis et abscessus pectoris cum succedente colica spasmodica et gutta serena et in eam commentarium / ... submittit Johan-Samuel Knisel.**

### **Contributors**

Knisel, Johann Samuel, active 1687-1690.  
Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Martini Rommeii, [1690]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/byt7x6px>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Quod DEUS bene vertat!

In Perantiqua Academia E B E R H A R D I N A,

*Decreto & Authoritate Amplissimi*

*Medicorum Ordinis,*

PRÆSIDE

**DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,**

Phil. ac Med. Doct. Prax. Profess. Ordinario, Consiliario  
& Archiatro Württemberg. Dn. Cognato, Patrono ac  
Præceptore suo & viternum Colendissimo,

Historiam

**PLEURITIDIS ET ABSCES-**

**SUS PECTORIS CUM SU-  
CEDENTE COLICA SPASMODICA  
ET GUTTA SERENA,**

&

In Eam

**COMMENTARIUM,**

Pro Summis & Doctoreis in Medicina

Honoribus, Juribus ac Privilegiis legitimè  
demerendis,

*Publico ac Solenni Examini*

submittit

**JOHAN-SAMUEL KNISEL, Stutgard.**

*d. Septembr. Anno 1690.*

**IN AULA NOVA,**

*Horis consuetis.*

**T U B I N G A E ,**

Typis MARTINI ROMMEII.

СЕ ПОСЛЕДНЕГО АКТУ

АНОМАЛИИ ВОЛНЫ ИЗМЕРЕНИЯ

ПРИЧЕРНОМ МОРЕ

ОИМЬЮДАЯНІЯ

ОГЛАШЕНІЯ

ПРИЧЕРНОМ МОРЕ

СВІДЧЕНИЯ СІДІВСЬ

СІДЕНІЯ СІДІВСЬ

СІДІВСЬ СІДІВСЬ

SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO,  
**EBERHARDO**  
**LUDOVICO,**  
DUCI  
WURTEMBERGIÆ AC TECCIÆ,  
COMITI  
MONTISBELIGARDI,  
DYNASTÆ  
HEIDENHEIMII,  
AVITARUM VIRTUTUM HÆREDI,  
PRINCIPVM GERMANIÆ DECORI,  
FIDORVM SVBDITORVM AMORI,

PRINCIPI AC DOMINO SUO  
LONGE CLEMENTISSIMO,

*CLYPEUM FVTVRI REGIMINIS FIRMVM,  
STATVM TERRITORII TRANQUILLVM,*

6

VITAM LONGÆVAM,  
GLORIAM PERENNEM,  
FAMAM MAIORUM  
VOTIS EXOPTAT DEVOTIS;


*SIMUL QVE*

*DISPVTACTIONEM HANC INAVGVRALEM,  
CEV OBSIDEM  
DEVOTISSIMÆ SUBJECTIONIS  
AC FIDEI*

SUBMISSISSIME OFFERT

*Humilimus Cliens ac Servus*

**JOHANN - SAMUEL KNISEL.**



Σ. Θ.

## L. B. S.

**C**um de *Disputationis Inauguralis* post superata Examina instituendæ Argumento deliberarem, arrisit Thema quoddam, quod non curiositate solum, sed & utilitate Medico, qui nisi Practicus hoc nomine non venit, se commendaret. Petii igitur & obtinui ab Excellentissimo Dn. Praeside (*cui pro multiplici favore aeternum me obstrictum publicè profiteor*) Casum, quem brevi *Commentario*, imitabundus in hoc *Cimbrium Esculapium* Historiam vulneris Thoracici pro- & exponentem, explicare DEO FAVENTE (Cujus gratiam supplex imploro) constitui. Scopus autem, qui est, ut talis commentatio inserviat Exercitio & Specimini solenni ac publico, mox excusat, quod prolixior non sit, Tractatum enim latæ deductiones & prolixæ expansiones cuderent.

Historiam proponendi Casus ex Literis, quarum contenta in vernacula scripta Latio idiomate sequuntur, unà cum medicamentis percipies.

## Ex Epistol. I.

Patens meus per aliquot dies tussi laborarat, ad quam tollendam varia communiter adhiberi solita tam Electuaria, quam Syrupos & Rotulas assumpsit; cum autem iter frigida & pluviosa hac tempestate per triduum fecisset, vino sub isto tempore usus acido, austero, tertio itineris die rigor cum succedente calore valde intenso Ipsum invasit, tussis aucta fuit ita, ut domum redux nunc per biduum lecto affixus teneatur cum cephalgia, dolore lateris pectoris, difficilima respiratione, lassitudine insigni, siti intensa; à tussi vehementissima totum corpus concutiente, capit is dolorem, dyspnœam & lassitudinem augente torquetur, caque adhuc valde sicea, post diuturnum

enim tussiendi laborem paucissimum sanguinis modò sinceri, modò liquori seroso striatum mixti ejicit. 12. Mart. St. nov. 1690.

*Commentarius.*

THESES I.

**N**E mireris, L. B. non recenseri ordine Medico, in voluminibus Medicorum sive Præcepta sive Casus particulares descriptiū observari solito, causas & symptomata affectus, qui ægrum lecto tenet. Nam & hoc inter alia est, quod in Medico praxin exercente illud, quod *Crato Medicum* facere sed dici non posse vult, requirit, quod nos *Prudentiam Praelicam esse* dicimus, dum relationes, non ut in libris, fiunt, dum Medicus ex nimis concisa, obscura, inconvenienti relatione sive ore sive scriptis facta divinari ferè de speciali affectus idea & causa cogitur, & prudenti circa hanc deliberatione multa ex fana ratione & experientia supplere opus habet, quò postmodum debitè indicanti formato indicatum opponere ejusque executionem per materiam legitimam actui dare valeat. Ceu autem talis relatio sæpè mutila prudentem requirit Medicum: ita econtra aliquando Medici primùm vocati relatio, dum præconceptam opinionem præsupponit & ipsi singula accommodat, accidenti & in consilium post vocato non levem in suppeditando tali ponit obicem.

II.

**T**ussim hanc induxit serum ex glandulis per oscilla vasorum & ductuum minimorum utriusque generis exudans, tam in vesiculari pulmonum substantia, quam bronchiis, asperæ arteriæ capite ac faucibus irritans, fibras in crispaturas & istum motum ope aëris expulsivum adigens; quæ crispatio seu contractio per istum motum quasi per circulum eò magis ex glandulosa ista substantia serum exprimit. Serum autem, quod in Ægri corpore prædominabatur, majori copia per Austrinam humidam & pluviosam hyemem prægressam genitum, ac cumulatum, verno tempore tūm ob familiarem ipsi motum, tūm ob continuantem talem tempestatem agitatum, & ut vim nocendi sui juris factum actu in debiliores ab ipso aëre inspirato lœsas partes diætas exereret, dispositum fuit. Pulmonibus igitur cum vicinis, quibus cohæret & adalligatur, partibus jam dum à sero tali infestatis cùm ab itinere per tempestatem accusatai præsertim frigidorem justo, à vino acido austero affluent pro nutritione ipsorum sanguini debitus

tus denegaretur refluxus, sanguistam in vasis quam extra illa sive in cavitate sive in fistulatis fibrarum ductulis ob viarum occlusionem stagnans (non dicimus concretus aut coagulatus) fervidior, acrior fit, effervescendo se expandit, majus in pulmonibus & pleura spatium quærens ipsorum substantiam simul attollit, intumescere facit; ejus enim particulæ diversæ extra locum naturalem detentæ, secretæ, evolutæ, ab invicem secedentes ob disproportionem fibrillas nervas irritant, ab invicem solvunt, unde impetuosus spirituum & fervidioris sanguinis rapidior motus magis magisque cumulatus & australis; imò, ut *Quidam loqui amant*, seminum continet inflammationis sanguis subsistens. Hic enim ad pleuram & pulmones affluens non debite revectus subsistit, incalescit; tūm effervescens expandens sese ipse, tūm ob hunc dictarum modò partium particulæ activæ sese similiter moventes, expandentes hanc producunt inflammationem. Ipsæ verò totius Mæ. Sæ. particulæ ob transpirationem per illud iter prohibitam, crasin ac texturam sanguinis à vino acido austero mutaram, seri p. n. prægressam dispositionem, præsertim verò sulphureæ in ebullitionem actæ qua mixtionem turbatæ post rigorem totius corporis p. n. calorem & alias molestias induxerunt. Peccarunt itaque fluida, spirituosa fervore, motu nimio, humorosa, sanguis quantitate & qualitate, seu particulis fervidis, acribus; serum, partim visciditate viam intercludens, partim acrioribus tenuioribus particulis, simul & motu tam nimio, quam imminuto, quam diversas partes totius massæ; solida, fibrillarum usriusque generis dyscrasia & extura. Quò multum contulit non solum tempus frequenter gignens pleuritidem, sed & epidemicum tūm in districtu certo grassans ale malum. Remotiores causas infra videbimus.

Et hinc *Pleuritis cum febre continua non sine malignitate*, quod ita descripta docent symptomata. Cephalalgia enim, sitis intensa, maxima virium dejectio, grassans tunc & epidemicum malum ac p. n. corporis calor ac æstus, quod modò dicta indigitant, istam ferim, & hæc cum dolore lateris punctorio, difficilima respiratione, & tussi quid sanguinis extorquente pleuritidem significat. Ecce! idem, *Subjectum, Causas & Signa Affectus*.

### *Responsum Medici.*

Affectus, qui Dominum Ægrum tenet, est Pleuritis, in hac æta periculosissima. Utetur meo tenui consilio medicamentis, quæ

ex pharmacopolio lator harum unà afferet, modo sequenti: Pulveris assumat quovis trihorio tantum, quantum cultri cuspiter capit, cum 4. cochlear. Aquæ seu Mixturæ: Species pro decocto coquantur in Aq. fontan. Mensur. ij. Colatura inserviat potui ordinario. Unguento fatus dolens imò totum pectus calidè repetita vice illinatur. Aer cubiculi sit modicè & æqualiter calidus; absint cibi acres, acidii.

## III.

*Responsum* Medici non exposuit prolixè causas tām proximam quam remotas, non determinavit Ideam affectus, non ipsius genesin deduxit. Nec enim è re Ægri semper est, talia detegere, cùm vel Ipse, vel Adstantes, vel Medicastri uno vel altero arrepto variè peccent sciolis; imò Medico frequentiori Praxi fatigato tempus non sufficit prolixas tales exarandi literas. Aliquando tamen & necessarium est, & decet. *Prognosis* in omni pleuritide propter affectum duplicem, partis teneritudinem, causæ ferociam & actionis potissimum læsæ, respirationis nimirum, nobilem necessitatem periculum non leve prædictit. Cùm autem debitè secundum Methodi veræ leges tractantur, qui infra 50. annum sunt, plerique & ex singulis plurimi per DEI gratiam salvari solent. At in tali, quali Æger est, ætate summe periculosus est affectus non ob causas solum dictas, sed & potissimum ob magnum causæ à naturali constitutione recessum. Aliando tamen & senes licet rarius hunc superare morbum in hoc & aliis Casibus quibusdam observavit Exc. Dn. Præses.

## IV.

*Medendi Methodus* suasit, ut sanguis fervidior, acrior, impetuosiùs motus temperetur, mitigetur, coërceatur, invertatur, restinguatur, educendo per transpirationem imminuatur, compescatur, stagnans & serum & sanguis educatur per vias hic aptas, per expectorationem promoveatur, discutiatur, vires sustententur, dolores leniatur, partes affectæ liberentur, muniantur. Medicamenta igitur requirebantur, quæ sanguinis ebullitionem, æstum mitigarent transpirationem promoverent, simul & anocathartica, arteriaca, ut Quidam vocant, expectorationem juvantia, quæ nimirum hic sanguinem æstuantem, bullientem, concitatiorem, nimis expansum in pulmonibus & vicinis partibus restinguunt, refrenant, temperant corrigunt, serum tenuius effervescent ad expectorationem disponunt

nunt, ut Veteres loquuntur, coquunt, viscidius resolvunt, incidunt, sicciores fibras humectant, potissimum verò, quæ lœvigatoribus, mucilaginosis, roscidis dulcibus particulis membranas, vias, ductus lubrificant, leniunt, lœvitant, & ita tamen subsistens serum quam sanguinem expectorari faciunt, fauces & tracheæ latera ab aëre frigido & sero acri defendunt. Modum medicamentis utendi tamen quæ tempus quæ quantitatem accuratè observandum præscripsit, cum multum ad consequendum medicamentorum effectum conferat debitus tamen ab Ægro quam ab Adstantibus circa medicamenta observatus ordo.

## V.

Potum propinavit ordinarium eo ipso à mensa exesse jubens vinum. Hoc enim sive acidius & vilius, sive generosius, imò quodcunque nocet. Acidius vi sua adstrictoria expectorationem hinc tam necessariam sufflaminasset, generosius sanguinis æstum, & inde orta symptomata intendisset, imò quodcunque particulis suis spirituosis inflammationem & febrim auxisset. Nec latet nos, Vini Patronos objicere quosdami ægros à vini usu in tali affectu adjutos. Verum. 1. Quod non statim actu nocet, juvare dici non potest. 2. Quod in parva quantitate non nocuit, pro potu ordinario contraria tamen intensam sitim concedi non potest. 3. Quod extra ordinem in non assuetis aliquando medicamenti vicem egit, id semper & pro ordinario remedio in usum ducendum non est. Sed & hic Exceptio locum habet; Hinc Medicus huic ægro non expressis verbis omnem vini interdixit usum, tacite, si desideraret, ob consuetudinem & ob senium connivens, sed parca quantitate. Injunxit ut aér cubiculi sit modicè & æqualiter calidus, difficilimè enim respirantes ab intenso circumflui aëris fervore multum lœduntur. Inæqualitate autem ipsius magno ægrorum damno in talibus affectibus peccatur, dum conclave modo nimis fervet, & hinc æger magis turbatur, spiritus absuntur, & dolores augmentur, mox sive ægri impatientia, sive adstantium negligentia non solum non tepet, sed friget, unde utraque hic utilis evacuatio per expectorationem & transpirationem impeditur. Cibi acres, acidi quam facile malum auxissent, primo mox intuitu patet.

*Medicamenta fuerant:*

Bz. Spec. diair. simpl. C. C. phil. calc. Matr. perlar. preparat. pulv.

pulv. alexipharm. Dn. Præf. aa. 3j. Sacch. cand. alb. 3ij. M. f. pulv. D. R. Aq. card. mar. bellid. a. 3 ij. Conf. Alkerm. compl. 3j. Syr. violar. 3vi. M. D. R. Spec. decoct. hord. 3ij. pectoral. 3 R. C. C. ust. 3vj. Fl. papav errat. Mj. M. f. a. s. Stuck zum Tranch. R. Vnguent. anodyn. 3iB. D. S. Äußerliche Salb.

*Medicamenta præscribens Medicus respexit ad supra ex Methodo medendi formata Indicantia. Ut enim transpiratio promoveretur, malignitas infringeretur, particulæ acriores servidiores mitigarentur, restinguerentur, inverterentur, C. C. phil. calcin. Mat. perl. præp. aq. card. mar. spec. decoct. hord. fl. papav. err. C. C. ust. præscripta fuerunt. Ob malignitatem simul quid additum fuit pulv. Alexipharm. Dn. Præf. & absorbentia & penetrantia, attenuantia, aromatica continentis, cujus ingredientia reperies in Consilio contra febres malignas Germanico, hoc anno Stuttgardia typis impresso. Ut serum cum sanguine expectorationi aptum redderetur, membranæ ac ductus lubricarentur & ita expectoratio promovereatur, in usum ductæ fuerunt species diaireos, quæ ex sacchar. cand. alb. & speciebus diatragac. frig. constant recipientibus Tragacant. alb. gummi. arab. Amyl. glycyrrhiz. sem. 4. frig. maj. papav. alb. & sacch. penid. hoc elogio inter alia decoratis : Usus frequens est in omnibus pectoris & pulmonum noxis à calida & sicca causa ortum trahentibus, pleuriticis, ac siti immodicæ, quam pulmonum calor invexit, conferunt. Accedit hic rad. ireos Florentin. ut, si quid, quod in hac ætate contingit, viscidii junctum sit, attenuetur, aqua bellidis, card. mar. (quem specificè contra pleuritidem commendare solent) syrup. violar. flor. papav. errat. decoctum pectorale, quod passulas, sebesten, jujub. &c. ut in dispensator. Augustan. videre est, continet junctum decocti hordei hic frequentissimè usitati speciebus, quæ sunt hordeum, passul. minores, cinamom. rad. cichor. liquirit. sem. anis. flor. rosar. pallidar. violar. & unguent. anodyn. Augustanor. ita, quod dolores quacunque in corporis parte mitaget, dictum. Ut spiritus virium sustentaculum restaurarentur, augerentur, Confectio alkermes completa addita fuit.*

## Ex Epistol. 2.

Tussis haec tenus de die in diem aucta, continuò per medium, inten-

integrā horā. imò bīhorū perdurat, tām vehemens, ut ad lipothymiam usque vires dejiciat, eamque valde crebram. Expectoratur sanguis, sed parcus: dolor punctoriū, dyspnœa, calor, sitis & reliquæ molestiæ perseverant, singula vehementiora. 15. Mart. fl. n. 1690.

## VII.

Ecce! frequentissimum patientiæ Medicorum Objectum, dum nimirū æger & adstantes vix per diem continuato medicamento-  
rum usu malum nondum sublatum, morbum à Medico non debitè cognitum, medicamenta proficia præscripta non esse conqueruntur, non perpendentes, ceu omnia ita & sua tempora habere morbos, seminia morborum diu latitantia antequam erumpant, mātūrēscant, ut Quidam loquuntur, agere radices non mox extirpandas. Æger hic acceperat medicamenta 13. Mart. 15. jam, cùm usus ipsorum absolutus nondum esset, denuò advolant literæ de augmento morbi. Ista symptomatum intensio, lipothymia, & expectoratio hucusque tam parca causæ vehementiam, & partis obseßæ magnam læsionem indicant, ipsum nimirū liqorem sive serum aut mucum cum sanguine alias in tali affectu per expectorationem excerni solitum partim non debitè secerni sed manere crudum, id est, secretioni incep-  
tum, partim stagnare, detineri, unde *Abscessus* indicium desumi potuit. Sanguis enim tām in minimis vasis effervescens, turgescens, quām per vehementissimam illam tussim ex vasorum oscillis expressus & collectus stagnans quā particulas suas ab invicem secedere & à suo vigore, crasi, textura, consistentia deflectere cogitur.

*Responsum.*

Periculum nuper indigitatum majus reddunt lipothymiae. Medicamenta, quæ denuò præscripta, adhibeantur seq. mod. Syrupi si-  
ve Eclegmatis sæpiùs quid, pulvis & mixtura, ut priores, aqua sive mixtura confortans quantum 2. 3. cochlearia capiunt, frequentius sumatur: Emplastrum lateri dolenti applicetur.

## VIII.

Tām causæ intensio pertinax, quām partis læsio magis magis que confirmata utiq; magnum indicant periculum & quidem, ob spirituum assumptionem ac dissipationem, majus quam antea; defectus autem spirituum inductus fuit tūm ab ipso morbo dupliciti, tūm à nimia ista per tussis ferociam corporis concussione, tūnī à vigiliis per-

morbū & tussim inductis. *Eclegmatis* præscriptionem improbare possent, qui nihil penitus per asperam arteriam pulmonibus communicari censem, potissimum persuasi illa violenta expulsione, quæ vel minima mica aut guttula inter edendum aut bibendum illapsa concitat. Verum 1. Quin aliquid lubrici lœvis secundū membranarum continuitatem ceu mucus oblinens leniter non violentē delabatur, irrepat, impossibile non est. 2. Assumptis bechicis mox ex ipsis pulmonibus quid educi non solūm æger sentit, sed & stertor ac alia probant. 3. Multum quidem per has vias immediate non communicatur, attamen & in exigua quantitate sed successivè & sensim illabens aut descendens suum edit effectum tale Eclegma. 4. Posito, non concesso, nihil ad pulmones per istas vias pervenire, istum tamē ichorem, aut succum, qui in capite asperæ arteriæ & faucibus hæret, tale medicamentum ad expectorationem disponit, cujus eductio per continuitatem tunicarum & per istius motus expulsivi pulsum etiam illum ex pulmonibus promovet.

### Medicamenta.

℞. Lohoh. san & expert. ℥i. Syr. viol. papav err. an. ℥i. Dia-cod. liquid. Montan. ʒvi. M. D. S. besonderer Safft. ℞. Spec. dia-trag. frig ℥i. C. C. phil calcin. ʒiii. Sacch cand alb. ʒii. M. f. pulv. D. ℞. aq. bellid. papav. errat. farfar. an. ℥ii. Syr. jujub. papav. errat. an. ℥i. M. S. Wasser zu dem Pulver. ℞. aq. borrag. bugloss. a. ʒii. Conf. Alkerm. compl. ℥i. Syr. borrag. ʒv. M. D. S. starckend Wasser. ℞. Empl. de melilot. ʒiiij. D. S. äußerlich Pfaster. Decoctum ordinarium paretur ex hordeo, oryza, passul. liquirit. sem. fœnicul. C. C. ust. fl. papav. errat.

### IX.

Lohoh sanum & expertum morbis calidioribus & tussi calidæ suspectum reddi novimus. At & hīc pro viscidī in hac ætate sine dubio præsentis attenuatione quid necessarium fuit; imò à suspicione illa hoc medicamentum multum liberari censemus, quando perpenditur, illa attenuantia, calidiora ingredientia, cinamom. hyssop. calaminth. sem. anis. fœnic. non cum vino sed cum aq. fontan. infundi hacque destillando abstracta ex pineis, amygdalis emulsionem extrahi, & huic sacchar. cum pulv. liquirit. tragacant. gumm. Arabic. & amyl. misceri. Papaveracea non solūm in genere, sed & in specie papa-veris.

veris erratici flores valdè, potissimum diacodium liquidum Montani, in quo, præter capita papaveris albi cum seminibus, siliquarum dulcium & liquitritiæ particulæ ac Sacchar. cand. rubrum continentur, multum commendantur contratennes & acres rheumatismos pulmones & asperam arteriam tentantes & continua tussi vigilias excitantes. C. C. phil. calcinat. directum fuit tām contra acriores servidiores particulas mitigandas, infringendas, quām ad promovendam transpiracionem. In dispositione tali tenuioris, expuitioni, ad expectorationem minus apti seri & sanguinis, juvabat insuper cum aq. farfar. syr. d. jujub. Meluæ, quem commendant ad tussim siccām, arteria afferitatem, omnesque thoracis & spiritalium partium morbos, à fluxionibus calidis ortum habentes. Quibus subscribimus, non sola moti Authoritate, sed & ipsis Ingredientibus eorumque textura ac agendi modo. Externè suum contulit Symbolum Emplastrum de meli-joto, emolliens, humectans vi emplastica calorem fovens, Spiritus colligens, discutiens, ac impedimenta expectorationis, &c, si necessaria, suppurationis removens. Conf. Alkerm. compl. c. aq. borrag. & bugloss. emendationi, mitigationi & virium sustentationi adaptata fuerunt. Ingredientia decocti ordinarii utrique supra dictæ Indicationi satisfactura fuerunt præscripta.

### Ex Epistol. 3.

A strenuo medicamentorum nuperorum usu cessavit vehementia tussis, remisit calor & sitis, sed cum tussi mediocri nunc ejicitur sanguis, parum purulentus, potissimum corruptus (verdorben) valde copiosus, fœtidissimus, ita, ut non Æger solum, sed & adstantes præ fœtore virium exolutionem patiantur: Lassitudo sive virium dejectio magna adhuc est. 3. April. st. n. 690.

### X.

Dum pus fit, dolor & febris oritur, *Senex Noster* dicit. In hoc casu, dum suppuratio sanguinis non expectorati, ut tunc fieri solet quando non ejicitur, erat in via, fervor ille, calor ac agitatio aderant, cum autem pus non, autem valdè parcum genitum sit ob ipsarum particularum ineptitudinem, alia accessit sanguinis mutatio. Sanguis tām extra locum quām extra debiti vigoris ac craseos limites dejectus, in pristinum statum reduci non amplius aptus, cūm inflammationem peperit insignem, in statum talem, qualis cum ægri commodo fieri potest, deducitur, ac quā suas particulas alteratur ut pus evadat, spirituosis po-

riſſimum ejus particulis avolantibus, oleolis & reliquis quoq; modo unitis. Cum autem h̄c sanguis nec per sputum ejectus, nec in pus potiſſimum partem transmutatus fuerit, aliter corruptus fuit ; putredine eam insigni & penitus corruptiva à suo statu degenerans illum fœtorem contraxit, qui fœtor ceu oritur à corporis parte spiritibus penitus exuta, ita reliquis adhuc in corpore præsentibus spiritibus valde inimicus est, talisque sanguis non tam sanguis quām cadaver ipsius putrescens dicendus est. Tussis vehementia remisit, quia sub corruptione illa sanguis quā consistentiam mutatus expuitioni aptior nunc est.

### Responsum.

Periculum, quod tussis & quorundam symptomatum remisit extenuant, è contra materiæ s. sputi hactenus ejectedi conditio valde exaggerat. Conducent medicamenta præscripta ad instrunctionem sq. Manè vesperi & noctu pulver. quantitate tali, qualem tres cultri apices largiores capiunt, cum juscule calido, Electuarii fæpius tantum, quantum castaneam æquat, & Aq. s. mixtur. 2. 3. cochlear. interdum capiat Dn. Æger.

### XI.

Cautelam hinc desumere licet Practico necessariam. Non raro contingit, ut in Pleuriticis remittat tussis, cesset calor & sitis ; Sin autem expectoratio non præcessit, fidendum non est ; Varias enim tunc istud, quod expectorandum fuisset, quærit vias, quas si non invenit, partes quæ ipsi hospitium præbent, rodit. In hoc casu tandem perrupit corruptus ille sanguis copiosus, fœtidissimus periculum minitans haud leve tam ut signum quām ut causa ; Priori modo, dum indicat texturam & conditionem ipsius sanguinis talis fuisse, ut expectorari, in pus verti non potuerit, quod a causæ pertinacia & spirituum defectu oritur. Posteriori modo, quia acrimonia pollet talis corruptus cruor rodendo depascens solidas partes, humorosas verò inficiens simili labe & charactere, quia fœtor ille spiritus vehementer dejicit. Indicat simul h̄c periculi magnitudinem magna illa perdurans lassitudo. Præscripsit Methodus mendendi Medico sub tali rerum statu, ut omni modo citam istius corrupti sanguinis reductionem per viam, cui natura jam insistit promoveret, ac ita partes affectas in se teneras non solum ab inquili-

no nocivo liberaret, sed & contra ipsius rodentes particulas muni-  
ret, tam ipsas oblinendo quam ista minima mitigando, temperando.

### Medicamenta.

*R. Gelatin. compos. Dn. D. Camerar. 3ij. D. pulv. R.  
Elect. resumptiv. Syr. d. jujub. a. 3iij. Conserv. bellid. 3ij. M.  
D. S. Lattwerg. R. aq. scabio. bellid violar an 3ij. Conf. Alkerm.  
compl. 3j. Syr. bellid. 3vj. M. D. S. Innerlich Wasser.*

### XII.

Dicta Methodi præcepta seu consilia executus est Medicus  
Gelatina sua composita, quæ ex variis ossibus & cornubus paratur,  
transpirationem juvans, expectorationem lubricitate facilitans, glu-  
tinofitate acrimoniam obtundens, partes muniens, absorptione cor-  
rigens, nec spiritus refocillandi vi destituta: Electuario resumptivo  
hic officinali, quod paratur ex pulpis rad. farfar. passular. minor. &  
major. cum saccharo coctis, additis Cort. citr. amygdalis, cinamo-  
mo, garyophyll., spec. diair. simpl. diambr. aromat. ros. flor. sul-  
phur. & Bol. armen. adeoque singulis modò dictis indicationibus  
satisfacere valet; Nec acriora, calidiora, aromatica terrere debent,  
cum in exigua adsint quantitate, simul hic prospirituum restaura-  
tione necessaria; Cui accedit, quod syr. d. jujub. & cons. bellidi  
in magna quantitate juncta sint; Dicta conserva, syrupis aquis  
& confectione Alkermes compl. de quibus in prioribus jam dictum.

### Ex Epistol. 4.

Patens meus per DEI gratiam ope medicamentorum ab ista  
molestissima tussi, excretione fœtentis humoris copiosi, intenso  
calore liberatus, officio suo iterum fungi per tempus valuit. Quatri-  
luum est, quod officium ad iter per vias inæquales salebrofas, mon-  
anas, cum equo successorè gradiente ad aliquot millaria ipsum  
degit, à quo redux, nunc terminibus ventris tendentibus, rodenti-  
us, pungentibus, variè lancingantibus miserè torquetur, ut modò  
umbilicus ad posteriora retractus foveam formet, modò abdomen  
instar tympani tensum sit, modò tumores inæquales pugni magnitu-  
de hic & ibi monstrat. Conqueritur simul dealvo occlusa, ut  
ec flatus transeat, de cardialgia, vomitu, anorexia, siti, vigiliis inten-  
s; si vel per horulæ quadrantem ob formit, terroribus frequenti-  
bus totum corpus concutitur. 13. Maii, st. n. 1690.

## XIII.

Habuit æger cum suis, habuit & Medicus, cur *DEO benignissimo Soffitatori agerent gratias*, pro liberatione ex tam periculoſo statu. Sed ut constans est in orbe inconstantia, ita & hic vix elapsi ſpatio menstruo bigæ morborum priori ſuccedit *Colica*, quod iſta tormina Ventris, & quidem *Spasmodica*, quod retractio umbilici ad posteriora, abdomenis tensio, ejusque varii hinc inde tumores, corporis concuſſio, alvi occlusio, cardialgia &c. juncta docent. Nec enim, ubi dolor etiam enorū, ſtatiū ſpasmus, nec ubi ſpasmus, ſtatiū dolor eſt. Particulae nimirū peccantes, quantitate, qualitate, id eſt acrimonia disproportionata, ſimul singulariter irritante, vellicante, acrimonia nimirū sulphurea, ſalina, varia, non simplici, ſed variè miſceri ac ſuccedere ſolita, motu nimio, imminuto & loco, harentes, tam in ſpirituofis ac flatulentis, quam mafsa ſanguinea & lympha, potiſſimum vero in ſaliva, liquore gaſtrico, cibi reliquiis, chylo, ſucco pancreatico, bilioso, & muco glutinante intestinali hostiles, ſpiculis armatae, dum in fibrillas intestinalium non coli ſolum ſed & tenuium agunt, propter disproportionem illam reagentium, annon & membranarum à muco denudationem, continuatatem ſolvendo, cras in mutando, texturam turbando, dolor iſte, tormina illa colica dicta (quod nomen tenuia intestinalia tanquam ſubjectum non excludit) excitantur; dum praeter talem ſolutionem accusatam ipſas etiam, quia in ſingularem acrimoniae gradum exaltata, irritant, vellicant, laſſeſſunt, ſpasmodicæ in intestinaliſ & viciniſ partibus tractiones, corrugationes, tensiones, motiones ſequuntur, non quidem motu iſto contractorio naturali, ſed p. n. vario comprimente, extendente, criſpante, convulſivo, hostile illud amoliri conante. Nec enim vicinæ partes, cum quibus intestinalia per communia vasa tam nervina quam ſanguiduca, tam lympham, chylum, quam alios ſuccos naturales vehentia, per fibras, membranacea ligamenta & contactum neſtuntur, ut ſunt mesenterium, ventriculus, pancreas, cystis biliaria, renes, ureteres, vesica urinaria, peritonæum, muſculi & membranæ abdominis, penitus immunes hic eſſe ſolent. Genitæ fuerunt iſtæ heterogeneæ laſſeſſentes particulae, vitio non viſcerum ſolum, ſed & glandularum in genere & in ſpecie intestinalium, ſuo offiſio non debite fungentium; Detentæ antea in M<sup>o</sup>S: vel liquoribus dictis, poſtquam à corrupto illo ſanguine in morbo prior

iori miasmata tali charactere tincta refluentibus & sanguini & mphæ fuerunt communicatæ, istam simul debentes tincturam; gitatæ, in apricum deductæ, secretæ, è vaginis extractæ à motu il- violentiori, diurno. Nec enim, quod remedium hujus affectus nit Sydenham, etiam, sed alio agendi modo, causa ejusdem esse ne- it.

## XIV.

Ex tali ergò causæ descriptæ in subjectum dictum actione ista cuta fuerunt symptomata; Tormina Ventris oriebantur tenden- à flatibus, à tensis spasmodicè per acrimoniam irritantem fibris, dentia, à minimis istis acribus, salinis ad acidì indolem acceden- bus, pungentia, à sulphureis potissimum moleculis, varie lacinan- à, à variantibus causæ aculeis. Retractus fuit umbilicus modò istam præsentavit foveam ob mesenterium, partes, quibus alli- tum est, retrahens, modò abdomen tensum, modò pugnum æmu- ntes tumores apparuerunt, à variis nervearum fibrillarum irritatio- bus, carnearum tensionibus, tractionibus, crispationibus circum- solutionibus, accendentibus in hoc negotio flatibus incarceratis. Quæ simul causa, ut alvus penitus occlusa fuerit, nec flatibus, qui si- ul rodendo, lacerando lœdunt, transeuntibus. Concussio ista cor- pris sub somnum non solum terror aut ipsius effectus ob spirituum confusione fuit, sed & spasmodica quassatio: Adfuerunt præte- a cardialgia ob accusatas acres particulas ventriculum quæ orifi- a potissimum lacinantes: Vomitus ob actum ipsum per illas in- spasmodicum expulsivum motum: Anorexia ob ejusdem liquorem stricium à spirituosa sua ac blanda vellicandi vi dejectum: Sitis ob- andæ lymphæ in faucibus, palato, ac linguâ defectum, inductum ab exiccantibus particulis ibi hærentibus, quæ à dolore, & vigi- s: Somnus deficiens ob tormina enormia spirituum quietem tur- ntia, ipsos revocantia, ob liquorum naturalium blandam & rosci- m crasis amissam.

## Responsum.

Doloribus & symptomatibus his vehementibus opponan- r transmissus ex Pharmacopolio pulvis, quovis trihorio quantum apic. cultri largiores tollunt, cum aq. chamomill. & ceras. nigr. sumendus, Mixtura saepius 2. 3. cochlear, quantitate haurienda, unguen-

unguentum abdomini frequenter calide inungendum, & clysteres crebrius applicandi ex modo lacte, modo cremore hordei, modo juscum. carnis cum mell. vel simplic. vel anthosat. vitell. ov. butyr. & ol. lini. Potui inserviat decoctum ex aq. fontan. hordeo visc. quern. & sem. fenicul.

## XV.

Condoluit Ægro Medicus post tot superatas molestias & elutrationem ex tanto periculo de novorum ferocia dolorum, deliboratione secum instituta formans indicata, nimirum particulas istas accusatas imminuendas, corrigendas, mitigandas, temperandas, demulcendas, immutandas, infringendas, tam spirituosa quam humerosa in naturalem statum reducenda, solidasque partes roborandas sive muniendas, fibrillas debitæ figuræ, situi, laxitati & motui naturali restituendas esse. Aqua chamomillæ calorem sovendo, flatus discutiendo, blandis suis particulis demulcendo, oleosis obtundendo, cerasorum nigrorum, minimis nervos roborantibus & mitigantibus profuit. Tam lac quam tremor hordei, aut carnis juscum cum vitello ovj, butyro & ollo lini demulcerunt, obtuderunt, mitigarunt humores acres, partes nerveas blandis oleosis minimis & actuali calore soverunt, refecerunt, muniverunt: mel sive simplex sive anthosatum abstergendo & fibras roborando juvit: præsertim talia non semel, sed crebrius injecta, tanquam blanda, non violenta. Decoctum Ordinarium, quia vinum, ut mox patebit, noxiun, constabat ex hordeo mitigante, temperante, visco querno absorbente, infringente acrimoniam, nervis potissimum amico, & ipsos irritatos pacante, semine feniculi omnibus dictis indicationibus modica sua quantitate exequendis prudenter dicato. Miratur quis posset inconstantiam Medici in priori affectu vinum connivendo indulgentis, hic vero penitus interdicentis. Sed, qui considerat, si quidquam, vinum esse, quod moleculas spasmos excitantes exaltet, magis ad talem affectum inducendum disponat, illud quo secutum est, ut mox percipiet, non mirabitur.

## Medicamenta

R. pulv. anticol. D. D. Camerar. 3B. spec. cordial. tempe  
rati. M. f. pulv. D. R. aq. 4. cordial. a 3) B. Conf. Alkerm. compl. 3j.  
sy

*syr. arantiar. 3vj. M. D. vnguent. clysmatic. ol. chamomill.  
an. 3vj. M. D. s. Aüsserliche Salb.*

## XVI.

Inter medicamenta hæc pulvis iste anticolonius ex Crystall. montan. præparat. C. C. ust. præparat. Rasur. ebor. & Sale chamomill. constans acria illa varia absorbendo, saturando, destruendo, invertendo, subintractione immutando enervavit, etiam insensibiliter educendo imminuit; Species cordiales temperatæ tam dictum pulverem in isto scopo adjuverunt, quam in modica ista quantitate spiritibus & nervosis partibus robur, solamen afflaturunt & tranquillitati ipsas dederunt, ac flatus discusserunt; aquæ ex rosis, violis, flor. borrag. & bugloss. diluendo peccantes particulas infregerunt, spiritusque vigori & ordini restituerunt; syrups è succo arantiarum variis ex causis, præsertim inversiva acrium & carminativa vi se commendavit: Confectio Alkermes complet. singula talia variis suis particulis & fixis & spirituosis juvit: Oleum chamomillæ & unguent. Clysmaticum ex malv. bismalv. branc. ursin. parietar. ♀ al. radic. alth. lil. alb. flor. Chamæmel. melilot. & butyr. recent. emolliendo, leniendo, digerendo dolores leniit, flatus discussit, partes læsas calore blando fovit, præsertim nerveas, varièque crispatas figuræ ac situi debito restituit.

*Ex Epistol. 5.*

Convaluit Parens meus quarto die à nupero dolorifico ventris affectu, lassus aliquantum, sed quæ cætera sanus, deambulans, suis negotiis & frequentiori scriptioni incumbens. Triduum autem est, cum post largiorem vini generosi usum tormenta ista intensissima cum alvi constipatione & prioribus molestiis redirent, quibus purgans medicamentum ex foliis Senæ & Rhabarbaro (sed absque subsecuto effectu, alvo manente occlusa) Clysteres, aq. chamomill. & ceras. nigr. & decoctum opposuimus. Heri hora matutina 5. subito deliquium Ipsum, ut nobis videbatur, dejecit, inde loquebatur incongrua, oculos cornu æmulantes fixos tenebat, se nullum hominem, nec alia objecta coram videre, cernere autem per totum cubiculum ubivis elegantissimos flores, nihil aliud præter tales agminatim copiosos suis obversari oculis, referebat. Circa vesperam autem rediit prior

debilitas, comitante mox totali cœcitate, oculis licet apertis & præter serenitatis defectum nullum vitium monstrantibus, hucusque perdurante, ut ne lumen quidem percipiat, cum turbatione etiam capitis, ut vix immo non, ubi sit, recordari possit, querulus de talibus molestiis. 3. Jun. st. n. 1690.

## XVII.

Quartus, quintus communiter, aliquando septimus dies est, quo remittere ista solet Colica. Liberatus ab ista Hic Æger in recidivam incidit, hoc enim affectui huic valde familiare est, ut licet ablatus penitus videatur, tamen, non præstis præstandis non solum quæ medicamenta sed & Res Non- Naturales, facile redeat & quidem majori cum ferocia, certas aliquando periodos observans. Occasionem recidivæ huic dedit largior vini generosi usus. Profectò, qui accuratè, prout fieri debet, singula in talibus affectibus pensitat, observabit, quid vinum in cudendo hoc malo valeat, ut jam è Veteribus Medicus aquæ potum contra ipsum commendaverit, nec solum in productione morbi tantum valet, sed & in morbi præsentis jam geniti intentione, auctiōne, exaltatione, ut, si Æger isto decumbens non abstineat à vino, & spasmos & paresin contrahat. Quod & de purgantibus experientia non simplex testatur, quæ si in hac colicæ specie exhibeantur, felix erit æger, si non varii spasmodici motus aut Epilepsia ipsum prehenderit & paresis secuta fuerit. Cùm econtra quando hæc Colica absque purgantibus modo antea indigitato tractata fuerit, nec epilepsiam nec paresin junctam aut subsecutam fuisse docuerit Eadem; hinc & observamus, raro tūm purgantia alvum solvere, frequenter autem dolores intendere. Non solum causa morbifica evacuationi tali tūm temporis adhuc inepta est, sed & per purgantibus determinata acrimonia, fervor ac effrænis ferocia augetur, dolores intenduntur. Clysteres, aqua chamomill. & ceras. nigr. cum decocto non juvarunt, sicut antea; quia adhuc principium est morbi, in quo tamen, ut sensim causa morbifica corrigetur, necessaria fuerunt, quia purgantia causam multum exaltarunt.

## XVIII.

Affectus autem, qui Ægrum dejecit, non, ut Filii Dn. Ægri scribit, deliquum fuit, sed *Convulsiones internæ*. De His licet valde pauca dicant aut scribant Authores, tamen per frequentes ista sunt.

sunt, in externis aliquando nullo signo, aliquando rigiditate et tensiva se prodentes. Cum enim in hac recidiva à causis dictis egerit illa singularis acrimonia sive adversitas multum aucta, aucta fuerunt etiam symptomata spasmodica in internis potissimum partibus, dum non solum illa fibrarum tensio, crispatio, corrugatio, motio varia spirituum per nervos debitum influxum varie impedivit, depravavit, sed & ipsi spiritus (nam hos nunquam absque partibus quibus affluunt, nec partes absque iis considerari volumus) nimium irritati à crassi, vigore, serenitate sua dejiciuntur, & instare effectus & instar caasæ pro diverso considerandi modo se habentes. Membranæ seu fibrillæ nerveæ irritatæ & per istam irritationem spasmum inducentes plerunque partes cum quibus nervos communes habent, in societatem trahunt, in auxilium pro amoliendo hostili vocant, at non raro etiam dissitis partibus, vicinis salvis, malum tale communicatur. Hic intestinorum spasmodica affectio similem in capite potissimum excitavit, hinc illa actionum abolitio, unde deliquium censabant. Incongrua loquebatur Æger, ob turbatos spiritus ac eccentricos, & fibrillas cerebri variè tortas; Oculi cornu æmulabantur fixi, quia non solum spiritus visivi à serenitate dejecti, sed & in influxu ad oculos debito impediti, ipsæque membranæ oculorum convulsivam patiebantur labem: Flores soli oculis obversari videbantur, vel, quia isto tempore frequentes spiritibus motum ad commune sensorium induxerunt adhuc perdurantem, vel quia ipsa spirituum & sanguinis conditio tale delirium huic vigilanti, ceu alias dormientibus somnia, objecit: Circa vesperam causa morbosifica & hinc etiam malo aucto Convulsiones internæ redierunt cum totali cœcitate, quam *Guttam serenam*, quia oculi aperti nullum monstrabant vitium, dicimus. Nervorum enim opticorum fibrillæ per istum spasmodicum affectum variè distortæ & dislocatæ fuerunt, ut transitus spiritibus visivis amplius non patuerit, imò, quia sub ista distorsione quid lenti illapsum viam præcluserit, suspicati quis non absque fundamento poterit, licet & hoc brevis affectus duratio in dubium vocet: Turbatæ fuerunt actiones animales interiores, ut vix, ubi sit, recordari, tamen de his molestiis conqueri potuerit, quia & fibrillæ extra suos ordinarios limites ac regulas actæ, & spiritus tamquam motum quamquam quamcras in deviarunt.

*Responsum.*

*Contra summè periculorum hunc affectum in usum ducenda erunt sequentia: Pulvis quovis trihorio quantitate in prioribus indigata cum aqua seu Mixtura, Electuarium sæpius castaneæ quantitate exhibeatur. Elixir naribus, vertici, temporibus, cervici applicetur. Vesicæ excitentur in brachiis & cruribus. Potus ordinarius sit idem cum priori: Enemata nuper præscripta applicentur.*

## XIX.

Periculum utique hic magnum ratione cœcitatis, cum exemplum in hac urbe fuerit talis cœcitatis à Colica incurabilis, ratione vitæ, cum tales Convulsiones internæ sæpè mortem afferant, Adstantibus imò & nonnunquam Medicis syncopen censemibus, & si spirituosa porrò, calidiora, acriora, fermentationem extraordinariam cœntia exhibita fuissent, auctum magis fuisset periculum, Epilepsia universalis subsequente. Necessarium judicavit Medicus, ut spiritus suæ crassi, vigori, serenitati restituerentur, à motu eccentrico revocarentur, ipsis debitus pararetur transitus, fluida humerosa acriora imminuerentur, emendarentur, enervarentur, partes solidæ ipsarumque fibræ à tensione, distorsione &c. liberarentur. Elixir istud particulis non solum volatilibus sed & maxime penetrantibus pollens spiritus suscitare, restaurare, reficere, consolari multum valet, applicitum his partibus, dum ibi hoc beneficium spiritus ac nervis fibrillis contulit, mox illud & aliis affectis corporis partibus communicavit, quod quotidianum in corpore humano est, ut spiritibus in una parte solamen accipientibus, accipient & reliqui in alia parte imò toto corpore; Vesicatoria applicita non solum serum & cum ipso minima acria eduxerunt, sed & spiritus dispersos revocarunt Potus ordinarius & Enemata thes. 15. commendata, jam & quare fecerunt.

*Medicamenta.*

R. *Pulv. cephal. Dn. D. Camerar. ZB. epilept. March*  
*3ii. Spec. Diambr gr. vij. M. f. pulv. R. aq. ceras. nigr. borrag.*  
*bugloss. a. Zij. Iulap. Alexandrin. 3v). M. D. S. Wasser zu der*

*Pulver*

Pulver. Rx. Conserv. borrag. rosar. dam. a. Ziſſ. Carn. citr. condit. Ziſſ. Nuc. ind. cond. Zij. Conf. Alkerm. compl. Zj. Syr. rub. id. q. f. M. f. Elect. f. Lattiverg. Rx. Elix. vit. maj. Querc. Zlij. D. S. Anſtrich.

## XX.

Pulvis cephalicus Exc. Dn. Præſidis præter absorbentia, communiter in nervorum affectibus laudari solita, Cinabarim nativam continent, hinc domuit irquietos spiritus, serenitati reddidit, singulariter acria mitigavit, spicula infregit, aculeos obtudit, ut fibræ à malignis illis irritantibus, à spasmodicis crispationibus liberatae fuerint; Cui suppetias à latere tulit pulvis Epilepticus Marchionis, ex rad. pœon. visc. quern. &c. absorbentibus (quæ non imbibendo ſolum ſed & dum ſubintrant, immutando, invertendo, irretiendo, ligando proſunt) pretiosis & minus pretiosis conſtant. Additæ fuerunt species diambrae ad fuſcitungem spirituum, ſufficienti, quod Quibusdam mirum videtur, quantitate; talis enim affectus largiorem calidorum, aromaticorum, ſpirituosorum quantitatē non fert, præſertim in hoc individuo tali temperamento prædicto & largiori viñipotui affueto. Julapium Alexandrinum Londinensium mitigando, temperando, diluendo prodeſt, ſimul & robur (debitè hoc explicetur velim) variis largitur partibus, quod & de Conserv. rosar. dam. ac Carn. citr. condit. dicimus. Nux Indica cum Conf. alkerm. compl. ſpiritibus ſolamen attulit, ſimul & acrimoniam infregit.

Cætera Medico, quia Ægrum diu jam noverat, nota fuerant, & quidem è Claffe Rerum Naturalium, Temperamentum ſeroſo. ſanguineum, ætas 71. annor. vultus floridus, imò propter guttas, roſaceus, habitus corporis crassus, ſtatura brevis; Non Naturalium, vita modò diu ſedentaria, modò propter itinera, laboriosa, largiori viñipotus, etiam ex officii ratione copiosior, modò acidi, minus generosi, modò valde generosi; præter Naturalium, aliquoties antehac tumores genæ, imò totius capitis, odontalgia, aliquando oris & vicinarum partium inflammatio ac excoriatio, uno verbo, Catarrhi at loqui ſolent, nonnunquam infestantes.

## XXI.

Ceu illa ex triplici petita Classe in omni affectu p. n. Medico, quantum notum est, probe consideranda sunt, ita & hic de prædominantibus in Ægri sanguine ac corpore particulis scrosis, blandis, oleosis, balsamicis testatæ fuerunt priora; sed degenerasse non semel & serosas istas acribus miasmatibus tinctas fuisse, quò plurimum Non-Naturales Res, præsertim vini largior potus & alia contulerunt, docuerunt posteriora: Serum enim non, quod nomen vult, fluens ex parte, sed in illa subsistens, detentum Catarrhos ibi inducit.

Mense Julio D. S. L. Medicum accessit Æger ab omnibus molestiis liber & vegetus, accipiens ab ipso monitum, ut memor tantum molestiarum in diæta liberiorem vitam abdicaret.

## XXII.

Veluti nimis rigidi sunt illi Medici, qui omnes homines, etiam sanos strictis diætæ legibus coercere conantur: Ita Ægrorum aut convalescentium commodum non promovent, qui laxiores habent, imò liberrimum quibusvis fruendi cibis ac potibus relinquunt ad concedunt arbitrium, benevolentiam, sed male, captantes. Multum certè confert ad præcavendas recidivas Diætæ ad Medicas Indicationes observatio, quod quotidiana testatur Experientia.

## XXIII.

Miraberis L. B. cur contra tot, contra tantos valetudinis & vitæ hostes nobiliora, politiora, superbiora arma non fuerint adhibita. Nulla recensita fuerunt medicamenta, qualibus Modernorum Quæ runda Medicorum volumina repleta sunt, spirituosa, volatilia per prolixos & laboriosos, nè dicam superfluos processus elaborat insignibus titulis & rubricis splendentia, exotica, sumptuosa, nova, singulari & diverso à communi modo in usum ducenda, prout Quosdam talium malacia vexare solet. Sed scias, velim, utique volatilia, spirituosa, chymica & exotica sæpius in Arte nostra requiri, sed non in omnibus; in his enim & similibus affectibus cœquæ hic exhibita fuerunt, juvante D e o, sufficere, imò præ aliis praedesse, non solum hic casus, sed & plurimi alii Exc. Dn. Praeside docu-

ocuerunt. Methodum autem banc nostram non penitus cum com-  
uniter recepta eandem esse reperiet, qui vulgarem etiam quibusdam  
modernis familiararem cum hac conferet.

Hisce D E O Ter Opt. Max. grates persolvimus pro beni-  
gnissima medicamentis facta benedictione, Cui & pro meis  
hucusque feliciter perductis studiis sit

S O L I  
Sempiterna  
G L O R I A.

## I.

Edulitas multùm vigili Tua nocte probata  
Clarius evadet irradiante die.  
Ec mitrâ insigni & spartâ indonatus abibis,  
Cùm Tibi juncta dics proxima dona feret.

Hisce Nobil. atq; Clarissimo Domino Docto-  
rando gratulatur, eiq; invidendos ho-  
norum meritissimorum successus exop-  
tat

Johannes Zeller, Med. Doct.  
PP. & h. t. Decanus.

## II.

Multiplicem exponis Morbum Certamine docto:  
Hinc fulgore micat Gloria multiplici.

Prosperrima quævis  
apprecatur  
**P R A E S E S.**

**III. Mor-**

III.

MOrborum rabies variorum hue usque maligna  
Sæviit, atque hunc jam, mox alium abripuit :  
His tamen opponit Medicos nostra hæc Schola doctos,  
Quos inter clarus Kniselius radiat.

Joh. Ludovic. Mögling, D.

IV.

QVid? nisi laurus, erunt, Kniseli! præmia digna,  
Anceps Doctorum quæ tibi pugna parit.

Paucissimis hisce Fautori atque amico suo  
sincero applaudere debuit.

Ferdinandus Gottlieb Schmeltz.

